



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXIX. De Divina cantûs modulatione aliquando audita circa
sepulchrum B. Meinulphi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T XXVIII.

De Dalmatica B. Meinulphi.

Postquam Regulares B. MEINULPHI Monasterium inhabitare cæperunt, à nonnullis personis ad eorum pervenit aures, quòd quicumque Dalmaticam B. MEINULPHI (qua sacris altaribus assistere in suo Archidiaconatûs officio solitus erat) indueret, & non ea dignus esset, subsecutura morte ob hanc indignitatem plecteretur, & ut illius facti apud eosdem Regulares evidens testimonium nosceretur, contigit, ut duo Suffraganei, licèt non uno sed succedente sibi tempore ad præfatum Monasterium pro exercendo suo officio vocati prædictam sacram Dalmaticam induerunt, & induti officium, ad quod venerant, compleverunt. Quo peracto ambo eodem anno viam universæ carnis sunt ingressi, prout aliqui nostrum, qui adhuc superstites in vitâ sunt, de hoc testimonium veritatis allegare possunt. Testor similiter quosdam devotos fuisse Patres, quos in Canonica nostra novimus cum prædicta sacra Dalmatica vestitos, quibus tamen hujusmodi vestitura non obfuit, imò ipsis magis profuit ad salutem ex eo, quòd iidem postmodum longo tempore devotam gerentes vitam vestigium sanctitatis reliquerunt. Hæc de sacra veste B. MEINULPHI in præsentibus annotare decrevi, ne eadem vestis indecenter sed cum devotione tractetur & tangatur, qui verò se eâ induere proposuerit, sit talis in conscientia, qualem eum ad hoc esse oportet, ut plagâ mortis quemadmodum supradictos Suffraganeos & nonnullos alios, eum non involvat.

C A P U T XXIX.

De Divina cantûs modulatione aliquando audita circa sepulchrum B. Meinulphi.

Circa initium Reformationis Monasterii B. MEINULPHI coloni aliqui in villa ibidem propè posita habitabant, inter quos unus eorum nomine Gerwinus homo DEUM timens, fidèque dignissimus dicebat, se senem Patrem habuisse, ac eundem
quin-

quingenta annis pulsatorem campanarum Ecclesiæ Büdecensis existisse, referebat antedictus Gerwinus prædictum campanarum pulsatorem, Patrem nempe suum dixisse, quod sæpius dulcissimas vocum modulationes circa sepulchrum B. MEINULPHI audivisset. Illud idem, quod prædictum est, vir senio benè multo confectus nomine Tilemannus de Seckere, quem in contigua testudinali habitatione prope turrim versùs Aquilonem primi Reformatores Monasterii B. MEINULPHI habitantem invenerunt, consueverat enarrare.

C A P U T XXX.

De Tilia B. Meinulphi.

Licèt relatio veteranorum de progenie in progenies certis sigillarum litterarum documentis, aut etiam registris munita non fuerit, tamen ut plurimum veritatem non amittit. Idcirco id, quod à senibus usque ad me senem sua relatione deductum est, hoc Posteris meis scriptis referare non tardabo. Cum enim primò Monasterium B. MEINULPHI in statum Regularium Canoniorum translatum reformare laboravimus, quidam senes, quos pro tunc circa præfatum Monasterium habitantes invenimus, id, quod sequitur, nobis pro fide referebant. Dicebant, inquam, quod prope præfatum Monasterium versùs Austrum quasi ad triduum miliare in villa desolata, quæ maternâ linguâ Alten-Büeken nuncupatur, quædam esset Tilia, quæ ab incolis vicinorum locorum Tilia B. MEINULPHI vocaretur; causa etiam, quare eadem Tilia præfatum nomen haberet, annectentes dixerunt nobis, prout ipsis à Progenitoribus suis fuerat revelatum, videlicet quod B. MEINULPHUS sub eadem Tilia natus esset, quod si curiosè ab aliquo quærat, quomodo hoc eveniret, cum idem B. MEINULPHUS de nobilibus Parentibus oriundus fuit? hæc hujus rei causa protinus assignatur, nam eo tempore Carolus Magnus illam terram, quæ nunc Westphalia dicitur, ab errore gentilitatis imperiali gladio ad Christi fidem convertibat, castrum dictum Fürstenberg Paderbornensis Diœcesis, quod veteranorum relatione ad Parentes B. MEINULPHI pertinuit, etiam sibi caput; quo capto, dum Christiani Principes ex Comitatu Regis Caroli illud introgressi